In Obitum

MARIAE FETHERSTONE

HENRICI FETHERSTONE,

BIBLIOPOLÆ LONDINENSIS,

Mœstißimi Mariti vxoris Optimæ.

BRITISH MUSEUM

Ætas, ingenium, genius, Mihi Musa, negarant;
Obstupui, titulum relego; dant NOMINA Carmen,
Res varias hominum, spes veras, præmia certa.

Q*Vid* MARIA *est?* Mare! *quid* FETHERSTONE? Pluma lapisq;!
Viuitur his vicibus; Nomen & omen habet.
Quid Mare *dat certi? quid vita? Incertum! Habet vnum*
Ista ratum, constans in leuitate mare est.
Æquora vt æqua vident, stridet mox Æolus, antra
Horrida Ditis erunt, quæ modò regna Iouis:
Vita ita, flos, fœnumq; fumus, fluimus, fuimusq;
Vndaq; [illegible] umbra sumus, Pluma-lapisque *sumus.*
Pluma-lapisque *sumus. Sine pondere, [illegible] ponderis,*
Mollia cum duris, Pluma-lapisque *sumus.*
Saxa per & scopulos grauis est via vita, leuisq;
Fumus es, es funus, Pluma-lapisque *simul.*
Heu status instabilis! Mare *Mundus,* plumaque *vita est:*
Quid leuius? ventis sunt data pluma, mare.
Quid grauius Saxo? *Perit en tibi naufraga puppis*
Ipsa suis scopulis, cautibus ipsa suis.
Mole ruitq; sua: cùm viuimus, ivimus, eheu
Viximus: Igne suo lux oritur, moritur.
Sic mare, pluma, lapis MARIA *est:* Myrrha, *atque* Magistra,
Exaltata, maris, *dicitur, &* Domina.
Myrrha maris MARIA *est, Domino quæ sancta Sacerdos*
Non dat thura, sacro SE dedit igne Deo.
Hinc maris *est* domina, *hinc alijs,* mare, *facta magistra*
Exemplo, mundi, vincere docta docens.
Exaltata *supra* mare, plumas, saxa, *fide olim*
Quem peperit mater, filia nunc fruitur.
Dulce fluit mare, molle iacet pluma, *&* petra *firma est,*
Vita, quies, templum, cuncta, DEVS, MARIÆ *est.*
Hinc MARIA *est* mare vitæ, pluma *fit* Angelus; *Arx est,*
Gemmaq;, Templa, Lapis, *tuta, decora, sacra.*
Ergo Neandra[*] *vale, noua Cælicola, ecce triumphat*
Iessiades, Golias ense suo perijt.
Sic Mors morte perit, Satan, Peccata, Dolores,
Et necis artifices morte tua pereunt.
Effugis heu [illegible] regnas pia; pace quiescunt
Exuuiæ, expectant TE reducem reduces
CHRISTE; mori moritur posse; atque sepulta sopita.
Sustulit atra dies, reddet & alma dies.
En cadit atque redit Sol aureus; en sata Mater
Terra fouet, messis quæ potiora facit.
Ergo vales: valeant mala cuncta. Animam PATER, *artus*
Mater, vterq; suum, more & amore tenent.

PLVMA LAPISque vale, valeat MARE: terque quaterque
(Æternum salue Dia) beata vale. 5 AP 65

[*] hoc illi nomen à Patre fuit; est à Patre Deo.

A.D.1623.
A.Æt.33.

PONIT EI (HEV QVONDAM) CONSORS. PEREGRINVS AT AVTHOR:
FVNERA POST VIVIT VIRTVS. EN ANNVS, ET ÆTAS.

Ad HEN. F. de MARIA FETHERSTONE Anagramma,
Mira, honesta feret.

MIRA & HONESTA FERET *jam famâ, qua tulit olim*
Nota Viro; semper fertq; refertq; DEO.

Aliud Ang.

I am far the honester.

F*Ar the honester I am,* grieue not, Death was but her owne death,
Now do I lie; Sinne, Griefe, Death, ills impossible are made.